UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvvm Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisqve Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvvm Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Titvlvs XIV. De pr[a]escriptionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

Visual Library

2 *Teſtimonium literarum Pęnitentiariæ, quantæ auctoritatis ſit.*

DECISIO I.

Ex conſil. 4. in Nouis, deeſt in antiquis.

1 SIcut antiquitas decem, aut ſaltem 30. annorum facit præſumi in omnes actus etiam extrinſecos, in eiſque interueniſſe ſolennitates, ac requiſitam agentium poteſtatem; ita etiam & duo antiqua inſtrumenta tranſumpti, in quo refertur ipſum originale, ad iuspatronatus alicuius probationem ſufficere videntur.

DECISIO II.

Ex conſil. 4. in Nouis, deeſt in antiquis.

2 QVamuis Maior Pœnitentiarius antequam per Pium V. extrau. 85. inc in omnib. 1569. officium Pęnitētiariæ reſtringeretur ad forum conſcientiæ de abſolutionib. & diſpenſationib. quas in vtroq; foro faciebat, publicum teſtimoniū dabat; nunc tamen nec ipſe, nec ij, quibus vt in dicto foro conſcientiæ abſoluant, & diſpenſent, mādat, iuſtè illud dare poſſunt, ſed neque ſi darent, aliquid prodeſſet; quia licet iudex fori exterioris viſo tali inſtrumento, & ceſſante aduerſario, diſſimulare poſſet, ac ita ſe gerere cum prædictis, ac ſi ligati non eſſent in præiudicium tamē partis, tali inſtrumento fidem adhibere non tenetur.

TITVLVS XIII.

De iureiurando.

SVMMARIVM.

1 *Iuramento qui promiſit aliquid non facturum, id faciendo peccat.*

2 *Procurator poſt mortem mandantis, iuramentum deciſorium deferre non poteſt.*

3 *Iuramentum de non ludendo, ſaltem ad ludos malos, ſeruandum, ſed ex cauſa relaxari poteſt, etiam ab Epiſcopo.*

4 *Iuramentum vi extortum non obligat, conditionale ſic, ſed facile remittitur.*

DECISIO I.

Ex conſil. 1. aliàs 3.

1 QVi accepto mandato de renunciando beneficium in fauorem ſuum, cum iuramento promittit, ſe non vſurum illo mandato, niſi reſeruata certa penſione alicui; ſi poſtea illo vtatur, & poſt quæſitam poſſeſſionem rogatus, vt ſe obliget ad ſoluendam penſionem, quam reſeruari voluit reſignans ad certa opera pia, quamuis peccet vtendo prædicto mandato ad reſignandum contra ſuum iuramentum, cap. Si vero, de iure iur. & c. quamuis, de pact. in 6. nullam tamen ex illius iuramenti tranſgreſſione irregularitatem, aut inhabilitatem ad beneficium illud retinendum incurrit, Arg. cap. quærelam, & c. tua, de iureiu. nec poſt adeptam poſſeſſionem beneficij aliquid in ſignum gratitudinis, vel paupertatis, vel ſubuentionis intuitu, reſignanti ſoluens, quoad forum conſcientiæ, ſimoniam committit, c. Tua de ſimonia Man. ca. 23. n. 107. quia intentio, & animus reſignantis, vt reſignatarius hoc vel illud faciat poſt habitum beneficium, nihil nocet, quoad forum conſcientiæ, niſi exprimatur, & deducatur in pactum: Hanc tamen gratitudinem reſignatarius erga reſignantem cautè exercere debet, ne quoad forum exterius virtute Bullæ Pij V. Extrauag. intolerabilis, edita ann. 1569 quæ eſt 87. in ordine, Ma. c. 23. nu. 110. confidentia præſumi poſſet.

DECISIO II.

Ex conſil. 2. aliàs 5.

2 PRocurator conſtitutus in cauſa ciuili, & factus Dominus litis, mortuo ſuo principali, re integra nec ſubire, non deferre iuramentum litis deciſorium poteſt, non ſolum, quia mandatum procuratoris regulariter re integra morte mandantis expirat, Clem. fi. de procur. ca. Mandantis, de offic. deleg. l. inter cauſas, ff. mandati, ſed etiam quia iuramentum deciſorium, ſpecialiſſimum mandatum requirit, quale procurator, mortuo mandante habere nō poteſt.

DECISIO III.

Ex conſil. 3. aliàs 1.

3 IVrans non ludere ad Cartillam, ſiue cartetam, ſiue Primeram, & ſimiles ludos vetitos, & malos, ſub pœna adeundi Ieroſolymam, promiſſum ſeruare tenetur, illamque ſi iuramentum fregerit adire obligatur, ſicut obligaretur, qui voueret non ludere ſub ſimili pęna, & ludere illicitè; poteſt tamen iuramentum illud iuſta de cauſa etiam ab Epiſcopo relaxari, ſicut & votum. Man. c. 12. nu. 75. Per Cruciatam vero a fractione iuramenti, quamuis non voti adeundi Ieroſolymam Cōfeſſarius abſoluere poteſt, Cum iuramenti relaxatio de adeundo terram Sanctam Papæ reſeruata non ſit, ſicut eſt relaxatio voti idipſum faciendi, cap, ex multa, de voto, & gl. ibi, & Extrau. Etſi d omini, de pę. & remiſ. Man. d. num. 75. & præſertim cum diſpenſatio huius non concedatur ſpecialiter confeſſario legitimè per Cruciatam electo, ſicut illius; Sicut econtra aliquando per Iubilæum relaxari poteſt a Confeſſario votum adeundi Ieroſolymam, & non iuramentum, cum in eo ſolum detur facultas diſpenſandi ſuper votis nulla facta mentione de iuramentis, quæ ſunt diuerſa ab illis, & a diuerſis non fit illatio, l. Papinianus, ff. de minoribus, maximè in diſpenſationibus, quæ ſunt odioſæ, & exorbitantes, c. quæ a iure, de reg. iur. in 6.

DECISIO IV.

Ex conſil. 4. aliàs 2.

4 QVamuis iuramentum abſolutè metu, ſeu vi præciſa factum vix inueniri poterit, eo quod voluntas hominis ad actum aliquem immediatè ab ea prodeūtem volendum, aut nolendum vi præciſa cogi nō poſſit, S. Th. 1. 2. quæſtio. 9 artic. 4. & 5. Man. prælud. 6. num. 2. & 4. violentum autem fit a principio extrinſeco, paſſo non opitulante; huiuſmodi tamen iuramentum violenter vi præciſa factum, iurantem non obligaret, cap. Sacris, de his, quæ vi, c. presbyteros, d. 56. conditionale verò præſtitum, dummodo licitum ſit, iurantem obligat, c. verum, ſi vero, de iureiur. quamuis abſolutio in tali euentu iuſtè peti poſſit, & præſtanda ſit, c. 1. & c. debitores tit. eo.

TITVLVS XIV.

De pręſcriptionibus.

SVMMARIVM.

1 *Beneficij onera in fundatione poſita, implenda ſunt, niſi legitima præſcriptione ſublata ſint.*

2 *Præſcriptione 40. annorum res aliena iuſtè poſſidetur.*

DECISIO I.

Ex conſil. unico in vtriſque.

1 LIcet regulariter qualitates, & onera a patrono in fundatione beneficij impoſita ſub peccato, tam iure antiquo, c. Eleutherius 18. q. 2. & c. cū dilectus, de conſt. & c. ſuper eo, de iurepatr. quā nouo Cōc. Tri. ſeſ. 25. c. 5. de ref. implenda, & ſeruanda ſint: quia tamen lex poſita a patrono in fundatione beneficij, firmior eſſe non poteſt quā lex poſita a Papa in Eccleſiæ gubernatione, cum a potentiori cauſa maior producatur effectus, l. cum multa, C. de bo. quæ lib. ideo ſicut lex aliqua ſiue a Papa, ſiue Regis a principio non recepta, nec ſeruata, non ligat, c. in iſtis, §. leges, d. 4. & Fel. in c. 1. de treug. & pac. ita neque lex patroni beneficio in fundatione impoſita ab initio nec recepta, nec ſeruata, vim obligandi beneficiarium, aut in foro exteriori, aut interiori habet; ſed beneficiario ſufficit, quod lex illa vel non monſtretur eſſe a principio ſeruata, quia facta non præſumuntur, niſi probentur, c. cum in iure, de offic. deleg.

deleg.& l.mád. princ, vel ſi recepta,& ſeruata fuerit,quod legitima præſcriptione ſublata ſit, & quod beneficium illud lógo aliquo tempore, quadraginta ſcilicet,vel circiter liberum ab oneribus in fundatione iniunctis ab ipſomis & prędeceſſoribus ſuis bona fide poſſeſſum fuerit;cum in bonis,& iuribus eccleſiaſticis per lapſũ triginta, vel quadraginta annorum etiam in valde præiudicialibus titulus iuſtè præſumatur. cap.de quarta,c.ad aures, c.illud autem de præſcr. Bald.tract.de præſcr.3.par.3.partis. q.10. num. 17.& poſſeſſor in dubio bonam fidem habere cẽſetur. Gl. in c.Sanctorum, verb. ſyncerè.& in c.ſi diligenti,ver.bona fide, de præſcr. Iura verò antiqua cum Tridentino ſolum de oneribus,& qualitatibus beneficiorum,quę ſemel recepta, & ſeruata , nec aliqua poſtea præſcriptione legitima ſublata ſunt,intelligenda ſunt.

DECISIO II.

Ex conſil.3.& 5.in Nouis,deſunt in antiquis.

2 PRæſcriptione 40, annorum res aliena tuta conſcientia poſſidetur; dummodo præſcribẽs nec ſciebat,nec ſcire debuit rem alterius eſſe: quam tamen ignorantiam probabilem non habere cenſetur is,qui in domo ſua publica documenta habuit rem alterius eſſe.

TITVLVS XV.

De ſententia,& re iudicata.

SVMMARIVM.

1 *Sententia in non citatum,vel inauditum lata eſt nulla.*
2 *Regulares verbo defenſionis,non appellationis,vti ſolent.*
3 *Delictum meum non dicitur deductum in iudicium , licet ſocius criminis in iudicium vocetur.*

DECISIO I.

Ex conſil.vnico,aliàs 5.de appel.

1 SIcut omnis ſententia a iudice incompetente lata,capit, cum ſuper, de offic.deleg. vel in damnum particularis perſonæ,ſaltem ſine cauſa rationabili,& ab eo, qui nõ habet Regalia,ſeu qui ſuperiorem recognoſcit,Pan.in c.cum omnes,de conſti.eſt ipſo iure nulla; ita etiam & contra nõ citatum, vel non auditum legitimè, ordinatio,vel ſententia data,ipſo iure nulla cenſetur,ca. Nos in quenquam, 2. q.1.a quocunque ſuperiore ſiue ab Imperatore,Cle.paſtoralis,§.ceterum,de re iud.ſiue a Papa feratur, c.1.de cauſa poſſeſſ.

DECISIO II.

2 REgularis licet grauatus verbo appellationis,& petitionis Apoſtolorum,quo ſeculares Clerici vtuntur , vti nequeat:remedio tamen defenſionis,quæ eſt iuris naturalis, quam appellatio in ſe includit, vti poteſt, cũ Religioſus peioris conditionis eſſe non debeat, quam alij, ſed melioris; nec magis grauari,quam alij,ſed lõge minus propter quod ſunt eis multæ immunitates , & priuilegia concessa, c.1.de priuil. in 6. vnde taliter grauatus etiamſi non poſſit appellare , aut per viam appellationis ad ſuperiorem accedere; poteſt tamen per viam ſimplicis querelæ ſuperiorem grauantis adire. Pan. & alij in ca.dilecti,2. de appell, & ſuperior, cauſa cognita , ea facere tenetur, quæ bonus & rectus iudex ad ſe appellanti legitimè faceret,cũ itineris arreptio ad ſuperiorem,vim & effectum appellationis obtineat,c.dilecti,2.de appella.

DECISIO III.

Ex conſil 2.in Nouis,deeſt in antiquis.

3 DElinquentibus duobus vnum delictum , ob quod incurritur irregularitas,quamuis contra vnum intentata ſit actio in iudicio, ſi tamen defectu probationis abſolutus ſit,alter virtute Concilij Trid.ſeſſ.24 c.6.de refor.ab ordinario diſpenſari poteſt, eo quod delictum iſtius in iudicium deductum non ſit,quamuis ſocius criminis in iudicium vocatus ſit. Res enim inter alios acta,alijs non præiudicat,quibus res iudicata non nocet, l.1.& 2. C.res inter alios acta. Nauarr.in Man.cap.27.num.254. vnde cum illius delictum adhuc occultum ſit,ordinarius in eo diſpenſare valet.

TITVLVS XVI.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

1 *Legatus Cardinalis reuerenter recuſari poteſt.*
2 *Appellare a ſententia definitiua, vel ab interlocutoria quando liceat.*
3 *Appellari poteſt ad Papam ab omni ſententia definitiua.*
4 *Appellare quando Regularibus liceat.*

DECISIO I.

Ex conſil.1.aliàs 3.

1 QVamuis Legati a latere ſententia, & iudicium ſine cauſa recuſari non debet,honeſtè tamen,& reuerenter recuſari poteſt,cap.Nouit,de appel.& Pan.& Dec.ibi. cum etiam & totum vnum Concilium Prouinciale recuſari,& ab eo appellari poſſit,c.Suſpecti,3.q.5. Pan.& Feli. in c.1,de iud.

DECISIO II.

Ex conſil.2.aliàs 1.

2 IVdex in omnibus caſibus,in quibus legitimè appellatur,hoc eſt,intra legitimũ tempus,c.ab eo, de appell. in 6.ſeu decendium, Auth. Hodie,C.de appel.appellationi deferre tenetur. Et quamuis olim tam a definitiua , quam ab interlocutoria regulariter in omni cauſa appellare licebat;a definitiua quidem non expreſſa iuſta cauſa appellãdi,cap.1.de appel.in 6.dummodo non ſit cauſa,in qua,vel a iure,vel ab homine remouetur appellatio:(quia tunc etiam a definitiua appellare non licet, niſi exprimatur iuſta cauſa ad appellandum:)c.licet,de off.ord. & gl.ibi,& cap. Romana,§.ſi autem, de appel.in 6. Ab interlocutoria autẽ iure canonico ſcriptis, & expreſſa iuſta cauſa appellandi , c.vt debitus honor,de appel.& c.1.de appel.in 6.poſt Concilium tamen Tridentinum,ſeſſ.13.c.1.de ref.& ſeſ.24.ca. 20.de refor.ab interlocutoria in cauſis criminalibus appellare non licet , niſi quando grauamen per illam illatum non poſſit per appellationem a definitiua tolli , ſed nec a definitiua etiam appellari poteſt in cauſis viſitationis , & correctionis,habilitatis,& inhabilitatis; quod tamen ita intelligendum eſt , vt non niſi iuſta de cauſa expreſſa id fiat,c.Romana,§.ſi autem,de appel.in 6.& iudex qui iuſtę appellationi non defert, puniendus eſt,c.de priore, de appel.& c.1.de appell.in 6.

DECISIO III.

Ex conſil.3.aliàs 2.

3 AB omni ſententia definitiua , vel habente vim definitiuæ Concilij Prouincialis ad Papam , vel ad Concilium Generale appellari poteſt,c.1.de iudic.& regulariter appellatio iuſta ſententiæ executionem,& inde ſequuta ſuſpendit,l.1.ff.nihil nouari pen.appe.niſi in caſu quo iudex procedit cum clauſula,omni appellatione remota,c.Paſtoralis,de appel.vel cum appellatur a ſententia excommunicationis,d.cap.paſtoralis,§.verum,vel ab alijs cenſuris,c.is cui,§.fi.de ſenten.exc.in 6.vel cum appellatio eſt friuola cui iudex a quo non detulit,c.cum appellationibus,de appell.in 6.

DECISIO IV.

Ex conſil.4.aliàs 4.

4 CVm appellatio defenſio quædam ſit, c. cum inter, de except.& non qualiſcunque, ſed quæ iure naturæ debetur,& proinde nemini deneganda ſit, Clem.paſtoralis, §. cæterum, de iudic. non ſolum poteſt religioſus in cauſa ciuili,& criminali, ſed etiam in cauſa immoderatæ correctionis ad ſuam innocentiam tuendam, ad ſuperiorem appellare,& recurrere,cap.reprehenſibilis,& cap.de priore,& Dec.ibi,de appel.& c.licet,de offi ord,& glo.& Pan. ibi,& ſuperiore nimis in eum ſæuiente, de monaſterio fugere

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN